ACAD.
LUGD. BAT.
BIBL.

Constantino Hugenio
C. Barlaeus S. P. D.

Jamdudum ad te, etiam in castris haerentem, scripturiebam, Hugeni clarissime. Verum cum didicissem nihil Musis cum Marte commune esse, et humaniores litteras classicorum strepitus aversari, officium styli in hoc tempus distuli. Gaudeo equidem te ex Morboniae regno hospitem et incolumem ad tuos reversum, et vagos castrorum situs stabili magisque salubri loco commutasse. Habes hic domi ubi castrametari possis, sed extra teli jactum, in Polybii aut Vegetii campis. Vallos, propugnacula, aliaque veteris munimenta formabunt tibi apud Annalium scriptorem Germanicus et Drusus. Illa lustrare et oculis usurpare licebit, etiam post indictum castris silentium, et sacra vigiliarum tempora. Minus te in ista tarda afficiet Varianis cladis, caesae legiones, aquilae raptae, quam turbatae nuper Batavorum phalanges, captus ~~Vismariensis~~ Stirumeus et manu, voce, vulneribus pugnam sustentans Dominus de Potlitz. Si victum Rhenum, si pontes ~~sublicios~~ mobiles visere amas, dabunt tibi in Menapiis et Trevirorum finibus sublicios Caesaris commentarii. At Principis victoria oberrare muneris tui. Esto. Habet et illa apud Curtium Pellaeus juvenis. Denique si classium placet conspectus, quantas tibi depinget epitomator Trogi, quantas Patavinus in Lilybaeo portu. Faciem hanc belli, cum voles, domi etiam videbis, et stupebis, ipse securus. Quid Tyridatem terreat unice, et quid dux Ligurum meditetur ore. Ego castra nec amo, nec sequor, nisi forte illa, in quibus imbellis cum matre puer, remotis arbitris, citra ullius invidiam, sacra sua peragit. Aliorum bellorum narrator esse malo, quam spectator, quam actor, nec in illa fabula Pyrgopolinices sum ait Davus. Si quid hebdomadales chartulae nobis impertiant, quod boni sit commatis, avidus illud arripio, et bene cum patria agi arbitror, cum tantis historicis [illegible] curam, bellique momenta probandum. Sed haec per jocum. Solis nostri Mathematici summi eclipsin intellexisti. Eius manibus hoc carmine parentavi, in quo Constellationes, quas vocant, omnes breviter perstrinxi. Praeterea ~~mitto~~

Ausonias arcus, et moenia clara triumphis
Accipe, nec nostrae sordeat artis opus.
Dissimulet domini quamvis haec pagina nomen,
Debebit Domino non minus illa suo.

Nomen non adscripsi, quia Italiam ipse non vidi, et ex aliorum solummodo narrationibus hauriendum mihi fuit, quorum, si quis forte fuerit, errorem et culpam praestare nolui. Vale Hugeni praestantissime, et fratri tuo a me salutem. Me ut videndi non potiar, tu candorem adire non possis. 14 Decemb. 1626

Hug. 37.

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 11
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/332

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 11
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/332

© Universiteitsbibliotheek Leiden
Cod. Hug. 37 (Barlaeus) 11
https://resources.huygens.knaw.nl/briefwisselingconstantijnhuygens/brief/nr/332

Aen mijn heer
mijn heer Constantinus
Huijghens Secretaris van sijn
Excellentie ende hier
woonende t'Hinder int voorhout

Haghe

port
[illegible]
16. 10b. 26.